

uti frueretur adjuvisse : idque ipsi incundissimum accidisse . 1492  
Nunc autem , cum nihil a quoquam tuti sit , cum omnibus a vi-  
cinis regibus , atque etiam a longinquis & magno sejunctis at-  
que separatis mari omnes artes adhibeantur , & tanquam re-  
tia ei insulæ tendantur , quibus capi & teneri possit : Senatum  
ad id descendisse , quod unum sibi visum esset omnium impenden-  
tium malorum & periculorum remedium : quorum si reliqua ipsa  
nihil timeret , num illud non perhorresceret , quod , nisi præsi-  
dio celerrime comparato insulam Senatus firmavisset , æstate  
illam proxima Turcarum classis occupavisset , atque ipsam vel  
fugæ sese dare coegisset , vel captam Byzantium duxisset ? quod  
eam casus aut offensio aliqua compellere , turpiter uti faciat ,  
potest : præstare , id incredibili reipublicæ gratia , suique fa-  
cti summa cum gloria celebritateque antevertisse . Occasionem  
esse variam , multiplicem , subitam : non singula hostium consilia  
provideri semper posse : non semper homines in tempore adesse : in-  
ter intimum Adriatici maris sinum , Cypriaque littora mul-  
tum terrarum , multa maria interesse . hæc illi cogitanda , hæc  
in primis pensitanda esse . Quod si nulla necessitas urgeat , quid  
esset tandem aptius atque commodius ad ejus famam nominis  
sempiternam , quam suæ illam patriæ regnum nobilissimum tra-  
dere , ut in annalibus referatur , Venetam rempublicam a sua  
cive Cypri insulæ opulentissimæ imperio auctam , atque condeco-  
ratam fuisse ? omni eam in regione nomen regium obtenturam .  
Si optio ipsius sit , cum tot annos apud Cyprios vixerit , debere  
eam cupere suis etiam a civibus aliquando , suaque in patria se  
salutari atque conspicisci : splendorem suum fratri , sororibus , propin-  
quis , familie , demum ei urbi , in qua nata alitaque sit , communi-  
care . Nullius unquam fœminæ , neque etiam viri , tam gratum ad-  
ventum reipublicæ fuisse , quam ipsius futurum . Quod si Venetiæ  
abjectum aliquod oppidulum esset , locoque aspero atque ignobili si-  
tum , esse tamen ejus pietatis , atque humani plane animi , qua in  
terra nascens cœlum hauserit , revisere eam velle , seseque suis o-  
mnibus tanto post tempore ostendere . at cum ea omnino urbs , o-  
mnes alias urbes , quas sol aspicit , prope excellere omnium ho-  
minum consensu prædicetur , atque ipsa in Italia omnium sit ejus  
terræ urbium opportunissima , quidnam esse causæ posse , quam-  
obrem